



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Colmannvs Mart. 13. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

virtutem, Laureaci mitrâ sibi devinxit, & in solium renuentem extulit. Hoc deinde cum furia Decianæ deturbassent, Româ abiit; mox tamen Xysto II. Pont. Max. auctore rediit, & viginti ipsos annos munere suo cum summa laude est functus. Sub hæc in mentem venit, patriis etiam terris operam suam locare. Et fortè Evilasius illuc Prætor Christianam pietatem oppugnatû ibat. Tanto amplius festinandum sibi ratus illicò advolavit, & suppetias laborantibus in tempore tulit. Sed dum in primâ fronte acrius pugnat, inter primos gladio cadit. Post hanc tamen tam nobilem Hostiam propitia victoria semper postea cum Christianis fecit. Diceres suum etiam Pannoniæ Ducium obtigisse. *Ex Bruschio.*

S. COLMANNVS MART.

13. Octobris.

COLMANNVM Regii sanguinis juvenem & juvenem a vo suo facile principem genuit & educavit Scotia, hospitem Bojaria vidit & Austria. Habuit tamen hæc hostiliter potius quam hospitaliter. Etenim quod genus & virtutem, sub peregrino dissimulasset, jussisque valere & patriâ & opibus patriæ, sacram Ierosolymæ urbem in votis haberet, diu jam dæmoni malo agere faciebat. Hic igitur contra agere COLMANNVS

MANNŌ facturus id machinatur, ut innocentia sub proditoris nomine accuseretur. Capitur, carceri datur, torquetur, uritur, laceratur, damnatur & ex aridā arbore ipse flos juventutis suspenditur. Hic demum pro innocente crebra miracula perorant. Et integritatem animi sesquiannum sub dio pendens integrum corpusculum loquitur. Meruisse canos crescentes capilli & ungues restantur; clamat sanguis è vulnere nunquam non recens. ipsa, quam emortuam diximus, arbor in frondes suas reviviscens non debuisse mori COLMANNVM ait. Tot testibus tandem convicta Austria vertit sententiam, absolvit COLMANNVM, & se damnavit. Sed & hic tot honoribus post, quot suppliciis antè maceratus Austriam jam absolvit. Ex *Ditmaro, Stabio, & VV. Lazio.*

S. FORTVNATVS EP. 14. Octob.

FACILE orco imperat, quisquis peccato non servit. Inter testes longè plurimos etiam FORTVNATVM numero Tudertinum Episcopum, qui totas legiones demonum ex hominibus non semel unus fugavit. Sed nocuit, panè fugiendo orci satelles. Nempe pulsus sub noctem urbem obambulat hominis vultum mentitus, rem indignam clamat factam ab Episcopo
FOR-